MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81213-7

AUTHOR:

TITLE:

DISSERTATIO DE ARTE POESIS GRAECORUM...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1849]

Master Negative #

93-81213-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Dissertatio de arte poesis Graecorum bucolicae.
Lipsiae [1849]. Sq.Q. 16p.
Rector commilitonibus certamina propositis praemiis [ ] indicit.

No. 7 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202





Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCXLIX

INDICIT.

Praemissa est dissertatio de arte poesis Graecorum bucolicae.

LIPSIAE

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Poetam etsi ingenium facit, tamen poesis non fit nisi ars accedat. Ars autem continetur observatione certarum legum: atque ut genera poesis inter se differunt, ita unumquodque genus suas quasdam leges habet, quas si quis non tenet, nec de arte recte iudicare, nec si quid vitiatum est sine errore corrigere potest. Illius generis, quod sive a Theocrito sive ab alio inventum bucolicum vocatur, quae leges sint in universum quidem cognitum est, sed quum quas eius reliquias habemus multis in locis valde corruptae sint, saepenumero dubitari videmus ferendumne quid sit an reiiciendum. Quare operae pretium est quaerere quo modo nos ex illa fluctuatione expedire possimus.

Planum est Theocritum eiusque sectatores qualia Siculi pastores rudi sermonis et versuum genere modulari solebant, versu heroico inclusa limatiusque expolita imitatos esse. Itaque primo communis huic poesis generi est versus heroicus tali temperamento factus, ut credibile sit aliquam eum similitudinem cum illis numeris referre, quibus pastores in Sicilia uti consueverant: de qua re probabiliter dixit Herm. Fritzschius in dissertatione quam scripsit de poetis Graecorum bucolicis p. 20. Metrici quidem veteres satis habuerunt caesuram quam bucolicam vocant adnotare, qua verbum cum quarto dactylo finiretur: eaque sane in his carminibus tam crebra est ut legitima sit censenda. Verum quum etiam spondeum eo loco multi versus habeant, tamen caverunt poetae bucolici in illis quidem carminibus, in quibus vel inter pastores rem agi finxerunt vel ipsi imitari voluerunt cantum pastorum, ne quartum pedem spondeus finiret, de quo disputavit Thomas Wordsworthius in praefatione Theocriti, recte ille addens non improbari spondeum, cuius ultima syllaba esset vox monosyllaba quae ad sequentia verba pertineret, improbari autem si esset coniuncta cum praecedentibus; quare in Theocriti I. 6.

ἁ χίμαρος, χιμάρῳ δὲ καλὸν κρῆς, ἔςτε κ' ἀμέλξῃς

scribendum esse *κρέας*. Nimirum quum tenue sit hoc genus poesis et a gravitate rei seriae alienum, leves et alacres numeros poscit, nec quasi pondere quodam in medio cursu tardatos. Itaque versus bucolicus quum necessariis heroici metri caesuris carere nequeat, fere ex tribus ordinibus constat:

καὶ τᾶν κρανιάδων | κατεναντίον, | ᾇπερ ὁ θῶκος
τῆνος ὁ ποιμενικὸς | καὶ ταὶ δρύες· | αἰ δέ κ' ἀείσῃς
ὡς ποκα τὸν Λιβύαθε | ποτὶ Χρόμιν | ᾆσας ἐρίσδων.

Ubi autem non habet caesuram bucolicam, communibus regitur heroici versus legibus. Itaque etiam in duos spondeos exeuntem saepe fecerunt bucolici eadem lege qua ceteri poetae, ne uterque spondeus vocem disyllabam contineret, ut olim Iliad. II. 844. *Πείρως ἥρως* legebatur, quod non displicebat auribus Eustathii. Moschum II. 97. hoc vitio Meinekius codicum ope liberavit, non ille tamen animadvertens aliud esse quod recte scriptum est in Theocriti I. 65.

Θύρσις ὅδ' ὡ'ξ Αἴτνας καὶ Θύρσιδος ἅδ' ἁ φωνά,

quos numeros quum inusitatos Theocrito vocabat, non memineral XI. 58. *ἐν χειμῶνι*, XV. 145. *ἁ θήλεια*, XV. 173. *ἐκ Περσῆος*: nam *ἁ φωνὰ* instar est vocis trisyllabae.

Maxima pars artis posita est in ipsorum inter se versuum ratione. Ea duplex est, prouti vel duo inter se canentes aut loquentes introducuntur, vel unius tantum cantus sermove exponitur. De utroque genere separatim dicam.

Illud aequalis partium distributionis studium, quod regnare videmus
in omnibus Graecae poesis monumentis quibus aliquid aut vere ante ocu-
los audientium vel legentium agitur aut fingitur ita agi, cernitur etiam in
poesi bucolica. Eius generis in Theocriteis tria in primis insignia habe-
mus exempla, idyllion vicesimum septimum, in quo Daphnis et virgo
singulis inter se versibus per totam confabulationem alternant; deinde
quartum idyllion et quintum, in quibus certa ratione variant vices per-
IV sonarum. Sed in quarto duobus locis, altero socordia interpretum, altero
veteris scribae negligentia iustam proportionem partium turbavit. Col-
loquuntur inter se Battus et Corydon primo quattuordecim singulis versi-
bus, quos sequitur quasi proodi loco distichon Batti, quia hinc invertitur
ordo respondendi, ut prior sit Corydon, Battus autem secundus, quat-
tuor tristichis alternantes, quae a v. 30. longiore excipiuntur sermone
Corydonis, post quem a v. 46. perperam distinctae sunt vices persona-

rum: nam versus 44—53. omnes sunt Batti, respondentes illis, quibus Corydon a v. 30. erat locutus. At hi Corydonis sunt novem, decem autem Batti, ut manifestum sit omissum esse in Corydonis sermone unum versum. Is ubi exciderit non potest dubium esse: non enim recte procedit oratio in his v. 31.

κἠγὼ μὲν τὰ Γλαύκας ἀγκρούομαι, εὖ δὲ τὰ Πύρρω·
αἰνέω τάν τε Κρότωνα· καλὰ πόλις ἅ τε Ζάκυνθος
καὶ τὸ ποταῷον τὸ Λακίνιον.

Apertum est non cohaerere haec, sed post primum horum versuum nominatam fuisse aliam urbem addita *τε* particula, ad quam illa quae post *Κρότωνα* est referretur. Finem colloquii faciunt Corydon et Battus duobus singulis versibus et tribus distichis, quorum ultimum illi videri potest oppositum esse, quod proodi loco numerandum dicebam.

Accuratissime elaboratum est quintum idyllion, in quo similis in- V
venitur respondendi conversio. Est enim ita distributum, ut Comatas
et Laco primum duo disticha, deinde sex tristicha habeant, post quae
Comatas primam partem colloquii disticho terminet. Tum enim iam non
Laco Comatae sed Comatas Laconi, respondet, quae est altera pars, duo
tristicha, duo tetrasticha, tria disticha, tria pentasticha continens, quia
manente per totum colloquium alternatione ibi imparem esse numerum
stropharum (sic enim vocabimus) necesse est, ubi earum comparationes
mutantur, ut post tertium distichon Comatas, post tertium pentastichon
Laco prior sit, eoque ordine illis deinceps ceterae strophae omnes sunt tri-
butae. Finem idyllii absoluto horum colloquio faciunt Morso iudex advo-
catus tribus et Comatas decem versibus. Ceterum vix opus est ut addam,
non laesam existimari paritatem dictorum, si, quod perraro fit, alter
pauca verba interloquitur, ut v. 60. *τὺ κάλει νιν*, et X. 15. *ἁ Πολυβώτα*.

Eadem quae in colloquentium dictis observata est partium comparatio
invenitur etiam in integris quae vel duo vel unus canit carminibus. In IX
nono idyllio duo sunt carmina septem versuum, quibus inter se certant
Daphnis et Menalcas. De his nulla est dubitatio: sed totum idyllion ita
comparatum est, ut, si illa duo carmina a Theocrito facta sunt, cetera
tamen aliunde adiecta videantur. Nam is qui in principio Daphnin et
Menalcam ut praesentes alloquitur certareque iubet, mox, finito cantu
Daphnidis, prius quam canere coepit Menalcas, tamquam de re praete-
rita loquitur; quum autem etiam Menalcas carmen suum absolvit, non
ad hos se convertit ut eos collaudet, sed narrat quae utrique praemia

donaverit, quodque illis dein ipse carmen cecinerit. Sed haec quidem nunc missa facio: illud non est praetereundum, quod etiam huius hominis carmen septem versus habet. At vero horum versuum primus,

μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς,

ab re alienissimus est, expellendumque eum esse eo quoque confirmatur, quod expulso non minui numerum septenarium vix dubia unius versus iactura ostendit. Nam et inepta sunt et corrupta haec v. 33.

οὔτε γὰρ ὕπνος,
οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα.

Praepropere D. Heinsius exsultabat coniectura quam p. 349. protulit, *οὔτ' ἔαρ ἐργατίναις γλυκερώτερον*, non reputans agrum quidem suum culturo ver exoptatum venire, at non item illis quos operis in agro faciundi labor exspectaret. Feliciter tamen iuventum est *ἐργατίναις*, si cum Valckenario ab Eldikio acceptum *ἔδαρ* substituitur, *οὔτ' ἔδαρ ἐργατίναις γλυκερώτερον*. Qua in scriptura etsi nihil est quod ferri nequeat, tamen et consuetudo horum poetarum suadet ut singulis singula potius quam duo coniuncta uni dulcia esse dicantur, et commendari id videtur Latini poetae imitatione, apud quem in ecloga V. 45. est,

tale tuum carmen nobis, divine poeta,
quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

Hinc recte suspicatum esse arbitror Wordsworthium post illa verba *οὔτε γὰρ ὕπνος* versum excidisse. Ille vero versus quem expellendum dixi,
X locum suum habuit in decimo idyllio, in quo quum v. 21. Milo tribus versibus Batto respondeat, etiam Battum tres versus dixisse, qui in libris duo sunt, intelligitur. Ei si redditur una duabusve litteris mutatis iste versus, non solum dicta utriusque messoris aequantur, sed etiam sententia exsistit aptissima:

μωμᾶσθαί μ' ἄρχῃ τύ· τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ πλοῦτος,
ἀλλὰ καὶ ὡφρόντιστος ἔρως. μηδὲν μέγα μυθεῦ,
μή ποκ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς.

Quae de illo proverbio corrupta in scholiis ad IX. 30. et apud Photium leguntur, nihil ad rem faciunt: meliora praebet scholiastes ad XII. 23.

X Hoc ipso in decimo idyllio duo sunt carmina quattuordecim versuum, eaque aperte distichis scripta. Nam quum Battus septem distichis de amore suo questus esset, deridens eum Milo totidem sententias

Lytiersae distichis comprehensas, quas illum decantare consultius sit, recitat.

Eodem modo duo carmina octo versuum, quae et ipsa distichis scri- VIII
pta sunt, in octavo idyllio post elegos leguntur: nam removendum esse versum 77. qui ex IX. 7. intrusus erat, dudum intellexerunt viri docti.

Aliud autem exemplum duorum longitudine parium carminum latuit VI
criticos in sexto idyllio. In eo duo bubulci alter Polyphemum de Galatea admonet, alter vero Polyphemi partes agens respondet, sed prior ille quattuordecim, alter autem viginti versus canit, quibus aliquot libri inepte addunt versum 17. decimi idyllii, quem M. Hauptius in Museo Rhenano a. 1845. II. p. 271. coniiciebat pro alio quem posuisset Theocritus esse adiectum: sic enim hanc rationem effici, ut bis septem Daphnidis versus ter septem versibus Damoetae superentur. Non assentior, praesertim quum non certent inter se hi bubulci de victoria, sed ut pariter digni ambo se invicem probent et laudent. Immo non integra esse quae Daphnis canit assensuros mihi spero, qui consideraverint haec, quae v. 15. de Galatea dicuntur:

ἃ δὲ καὶ αὐτόθε τοι διαθρύπτεται, ὡς ἀπ' ἀκάνθας
ταὶ καπυραὶ χαῖται, τὸ καλὸν θέρος ἀνίκα φρύγει,
καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

Mutasse pro suo consilio videtur Theocritus quae in Odysseae V. 328. de rate Ulixis mari iactata scripta sunt:

ὡς δ' ὅτ' ὀπωρινὸς βορέης φορέῃσιν ἀκάνθας
ἂμ πεδίον, πυκιναὶ δὲ πρὸς ἀλλήλῃσιν ἔχονται,
ὣς τὴν ἂμ πέλαγος ἄνεμοι φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα.

At ista apud Theocritum comparatio neque cum praecedentibus verbis neque cum sequentibus coniungi potest. Ex quo colligi potest, post v. 16. deesse illos sex versus, quibus ad implendum numerum opus est, processisseque orationem hoc fere modo:

ὡς δ' ἀπ' ἀκάνθας
ταὶ καπυραὶ χαῖται, τὸ καλὸν θέρος ἀνίκα φρύγει,

sic Galatea huc illuc fertur, et modo apparet, modo se abscondit; modo ex undis emergit, modo se in profundum recipit, omninoque te petulanter ludit,

καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

Ut hic non dubia videtur sex versuum iactura, ita suspicari quis poterit totidem versus perisse in septimo idyllio, in quo quae sunt duo car- VII

mina, eorum alterum duodequadraginta versus, alterum triginta duo habet. Verum illius idyllii compositio liberior est, neque inter eos quorum sunt illa carmina canendi est, sed gratificandi aemulatio: uterque enim alteri ut placiturum recitat carmen quod nuper condiderit: quare ne potest quidem de comparanda longitudine cogitari, etsi illa carmina quum argumento tum eo inter se similia sunt, quod in utriusque fine non exspectata alius hominis quam de quo sermo fuerat commemoratio est adiecta, eaque talis, ut demptis de priore septem, de posteriore tribus ultimis versibus utrumque carmen aptissime conclusum videatur.

Transeo ad ea carmina, in quibus nulla est canentium alternatio aut vicissitudo. Ac naturalis quidam instinctus docuit homines in cantu leniter fluente quum sensus animi tum carminis modos ita temperare, ut apta proportione in partes fere aequales dividantur: quam rationem aptum est convenientissimam esse generi bucolico. Sed haec poesis quoniam sermonem hominum non severa quadam disciplina multaque exercitatione formatorum imitatur nec videri vult anxie elaborata esse, observat illa quidem aliquam partium aequabilem comparationem, sed utitur ea liberius, ut magis arbitrio suo duci quam parere praescriptae necessitati videatur. Id praecipue ex illis carminibus elucet, quarum partes versu quem intercalarem vocant sunt distinctae: cuiusmodi duo Theocriti, unum Bionis, unum etiam Moschi habemus, ita ut haec carmina normae instar sint, ad
II quam de ceteris iudicari possit. Est autem maxime simplex illud Theocriti idyllion quod *φαρμακεύτρια* est inscriptum. Id a v. 17. octies quaternos, a v. 58. autem duodecies quinos versus habet versu intercalari discretos. Etenim postquam mulier in priore carminis parte de artibus magicis dixit quibus revocatura sit infidelem amatorem, in altera fervescens eoque strophis utens longioribus narrat quo modo in amorem Delphidis inciderit quantaque ille eam levitate deseruerit: postremo in tertia decima stropha ereptae sibi virginitatis mentione facta, quum quintum versum excipere intercalaris deberet, magis etiam animo commota, eius loco aliis verbis subito abrumpit carmen. Prodire ex hoc exemplo in universum haec regula videtur, ut aliquot pares strophae sibi succedant: quam regulam patet multis modis variari posse.

I Atque in altero apud Theocritum exemplo quod est in primo idyllio qua arte compositum sit carmen Thyrsidis, ex ipso argumento, a quo semper in tali quaestione proficiscendum est, accuratissime demonstravit Hauptius in Museo Rhenano a. 1845. II. p. 260. qui quum et versus 120.

121. quo loco ponendi essent ostendisset et alia acute emendasset, his tamen ambigebat quid faceret quae v. 105. leguntur.

οὔ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βωκόλος, ἕρπε ποτ' Ἴδαν,
ἕρπε ποτ' Ἀγχίσαν· τηνεῖ δρύες, ὧδε κύπειρος.
ὡραῖος χὤδωνις, ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει,
καὶ πτῶκας βάλλει καὶ θηρία πάντα διώκει.
αἶτις ὅπως στασῇ Διομήδεος ἆσσον ἰοῖσα,
καὶ λέγε, τὸν βώταν νικῶ Δάφνιν, ἀλλὰ μαχεῦ μοι.

Quum enim duo versus redundare viderentur, quos illa quam constituit stropharum descriptio non caperet, ingeniose sane duplicem viam monstravit, qua duo versus eximi possent. Mihi quidem deesse potius veteris scribae errore duo versus videntur, ut aliis quoque locis in hac bucolicorum collectione peccatum est. Nam quum hi poetae fere ubique paria paribus componere atque comparare soleant, requirimus ut, si Daphnis duobus distichis Veneri amorem Anchisae et Adonidis, qui mortales fuerant, exprobrat, totidem versibus ei etiam quas diis libidinis et ignaviae poenas dederit in mentem revocet. Quare, nisi fallor, ut ex Iliade vulnus a Diomede acceptum memorat, ita ante haec verba ad Odysseam respiciens dixerat, recordare retis, in quo te Marti concubantem Vulcanus risui deorum exposuit. Tantum abest autem ut addito disticho turbetur ratio stropharum, ut etiam aptior evadere videatur. Eiectis enim cum Hauptio versibus intercalaribus 79. 108. positoque 89. post 91. delendum puto ego etiam versum 73. illos autem, 64. 65. inverso ordine ponendos, ut Thyrsis, ante quam carmen suum caneret, hoc fuerit praefatus:

Θύρσις ὅδ' ὢξ Αἴτνας καὶ Θύρσιδος ἅδ' ἁ φωνά.

Ita ex tribus partibus compositum carmen, exceptis intercalaribus, hos versuum in strophis numeros habebit: 4. 4. 4. 6. 6. 2. | 4. 4. 4. 4. | 4. 4. 5. 5. 4. Poterit, si cui haec ad exemplum scenicorum poetarum exigenda videbuntur, primam harum et postremam stropham proodum et epodum totius carminis, eam autem quae disticho constat, epodum primae partis constituere. Simili ratione condita sunt Bionis carmen de mortuo Adonide et Moschi in obitum Bionis, de quibus in editione horum poetarum dicam.

Difficilius est de illis carminibus aliquid certi pronuntiare quorum strophae, si quae sunt, non sunt versu intercalari distinctae. Nam etsi de quibusdam eorum nulla potest dubitatio esse, qualia sunt quae supra dixi in octavo et in decimo idyllio carmina ex distichis esse composita, tamen

non minus certa videtur ratio esse eius carminis, quod in tertio idyllio ca-
III prarius canit. Id quattuordecim strophis constare, quarum tres primae duos versus, ceterae omnes autem tres haberent, indicavi in censura editionis Meinekianae. Perfecit rem Hauptius, quum p. 273. versum 20. ut ex XXVII. 4. adscriptum delendum esse docuit.

In aliis si strophae diversa longitudine certo ordine dispositae inveniuntur, vix videtur dubitari posse quin id non casu, sed consilio factum sit. Eiusmodi illud carmen est, quo in fine quintidecimi idyllii poetria
XV reginam Arsinoen magno apparatu Adonia celebrantem laudat. Id, nisi vehementer fallor, accuratissime ex tribus stropharum partibus compositum est his numeris versuum, 6. 6. 4. 4. 6. 6. si accedit versus quem desiderari haec v. 112. scriptura prodit:

πὰρ μέν οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι.

Metri vitium non latuit criticos, latuit vero emendandi ratio. Nam quum *πὰρ μὲν* aut *πὰρ μέν οἱ* sine dubio recte scriptum sit, non sit autem quidquam vitii in proximis verbis, quique sequitur versus hoc habeat initium, *πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι*, planum est errorem ex pari initio duorum versuum esse natum,

πὰρ μὲν . . . .
πὰρ δέ οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι,
πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
ἀργυρέοις, Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα:

confirmaturque id eo, quod ut in hac stropha, sic in sequente quoque binae res binis versibus sunt comprehensae. His strophis absolvitur laudatio reginae. Sequitur altera pars, qua poetria valedicit Adonidi quinque versibus; tum tertia novem versuum, qui continent id quod postero die cantaturae sint mulieres Adonin mari traditurae.

Neque vero non de industria potius quam casu accurata proportione stropharum carmen nuptiale videtur compositum esse, quod in decimo
XVIII octavo idyllio Helenae cecinisse dicuntur duodecim virgines Spartanae. Id si, prouti argumento convenit, in tres partes dispescitur, prima autem et ultima stropha ut proodus et epodus separantur, hos praebet versuum in strophis numeros: 3. | 4. 3. 3. 4. | 3. 3. 3. 3. | 5. 2. 2. 2. 5. | 5. Nam postquam in proodo questae sunt quod Menelaus iusto citius Helenam a matre abducat, felicem eum in prima carminis parte praedicant connubio Helenae; in altera parte quattuor strophis Helenae laudes praedicant; in parte tertia sempiternam ei memoriam promittunt fausta precantes; postremo in epodo thalamum ingredienti valedicunt, proximo mane rediturae.

Singulari ordine dispositae sunt strophae carminis, quod in undecimo XI
idyllio Cyclops canit, de quo ne quis propterea dubitet, quod corrupta duobus locis scriptura rem incertam reddat, consideret quam facilis sit utriusque loci emendatio. Nam v. 22 — 24 restituendus est iustus ordo versuum,

φεύγεις δ' ὥςπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα,
φοιτῇς δ' αὖθ' οὕτως, ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με,
οἴχῃ δ' αὖτις ἰοῖσ', ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἀνῇ με·

v. 60. autem res ipsa ostendit velle Cyclopem urinare discere, si sibi contingat navi in altum mare provehi: quare scribendum: *νῦν μὰν ὦ κόριον, νῦν αὖ δύπτειν γε μαθεῦμαι.* Stropharum igitur ordo hic est: 3. 3. 3. 2. | 4. 4. 4. 2. | 6. 4. 6. | 3. 2. 2. 3. 2. | 3. 2. 3.

Vicesimum tertium idyllion, valde illud quidem a Theocriti ingenio XXIII
abhorrens, querelas habet amatoris, qui ob saevitiam amati pueri vitam suspendio relinquere decrevit. Earum ratio planissima est: 6. 3. 2. 2. 3. | 3. 4. 4. 3. Nam versus 30. 31. quos Hauptius in Observationibus criticis p. 66. eiici volebat, cur ego non suspectos habeam, dixi in Iahnii Annalibus a. 1841. fasc. 3. p. 260. Debebam autem versum 31. non ut illic feci mutare, (Ameisii typotheta *ἀπωρῇ* pro *ἀπωχρῇ* posuit) sed scribere,

ἁ δὲ χιὼν λευκά 'στι· κατάνεται ἁνίκα ταχθῇ.

Si haec aliquid probabilitatis habent, quod fateor eiusmodi esse ut, si quis veris similia esse concedat, vera autem esse neget, non possit aliquo invicto argumento refutari, maior etiam dubitatio moveri poterit de iis poematis, in quibus nullum quod canatur carmen profertur, sed poeta ipse vel narrat aliquid vel sua cogitata exponit. Verendum est enim ne ipsi nobis somnia fingamus perdamusque operam, si artificiosas stropharum comparationes comminiscamur, de quibus ipsi poetae ne cogitaverint quidem. Viderique potest id eo probabilius esse, quod saepenumero dubitari potest, sic an aliter constituendae sint strophae. Nam poesis, qualis haec bucolicorum est, quae maximam partem ex brevibus dictis est composita, ipsa natura sua talis est ut in partes fere vel pares vel similes dividi possit. Nihilo tamen minus illam strophicam rationem non negligendam arbitror, ut quae apud poetas bucolicos in consuetudinem vertisse videatur. Non enim apud alios poetarum Alexandrinorum tam constanter observatam videmus, sed plerumque illi libero utuntur cursu orationis. Itaque critico certe ad istum morem est attendendum, quia haud parum emendationem eorum quae corrupta sunt adiuvat, ac non numquam etiam ubi nulla vitii suspicio est monet ne nimis securi simus.

XII Exemplo esse potest idyllion duodecimum. Id Ionica dialecto scriptum in unaquaque trium ex quibus constat partium ultro hanc offert rationem stropharum: 2. 2. 3. 2. 2. | 3. 2. 3. 2. 3. 2. | 3. 2. 2. 4. Quod si prima tertiae partis stropha uno versu auctior esset, haec quoque pars eadem diligentia qua alterae duae secum congrueret. Atqui neque in Theocriti libris ea stropha plures versus quam hos habet:

Νισαῖοι Μεγαρῆες, ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς,
ὄλβιοι οἰκοίητε, τὸν Ἀττικὸν ὡς περίαλλα
ξεῖνον ἐτιμήσασθε Διοκλέα τὸν φιλόπαιδα,

nec plures affert scholiastes Aristophanis ad Acharnenses v. 774. Neque ego contendam his non satis esse: et tamen quis non libenter quartum aliquem acciperet? Quis vero affirmet poetam non addidisse quartum versum, quo significaverit ita puerorum amantem fuisse Dioclem, ut, quo pueri cuiusdam vitam servaret, ipse mortem subierit, quod eum fecisse refert scholiastes Theocriti: et videri potest id ille ex ipso hoc poemate hausisse.

XIII Addo alia exempla. Decimum tertium idyllion, quod ad Niciam scripsit Theocritus de Hercule raptum ab nymphis Hylam quaerente, quinque partes habet, quarum quaeque exactissime elaboratae stropharum descriptionis speciem praebet, si de ultima quae non integra esse videtur ex praecedentibus capi coniectura potest. Est autem emendatione etiam quartae opus. Nam quis credat poetam vel mediocriter peritum v. 61. haec scripsisse?

ὡς δ' ὁπότ' ἠϋγένειος ἀπόπροθι λὶς ἐσακούσας
νεβρῶ φθεγξαμένας τις ἐν ὤρεσιν ὠμοφάγος λὶς
ἐξ εὐνᾶς ἔσπευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα,
Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
παῖδα ποθῶν δεδόνητο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.

Perversum esse *Ἡρακλέης τοιοῦτος*, quod *τοιοῦτος Ἡρακλέης* dicendum fuerit, iam in scholis Theocriteis significavi, sed non animadverteram, ut protasis tres versus haberet, sic ei apodosin totidem versibus adiungi debuisse. Id vero etiam stropharum comparatio exigit. Versus istos sic a poeta scriptos esse credo:

ὡς δ' ὁπότ' ἠϋγένειος ἐν ὤρεσιν ὠμοφάγος λὶς
νεβρῶ φθεγξαμένας ὄπ' ἀπόπροθεν ἆς ἐσακούσας
ἐξ εὐνᾶς ἔσπευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα,
. . . .
Ἡρακλέης, τημοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
παῖδα ποθῶν δεδόνητο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.

An recte se habeat *ἐπελάμβανε* dubitari potest, nec diiudicem nisi reperto versu qui deest. Sic quattuor priorum carminis partium haec erit stropharum dispositio: 2. 2. 5. 2. 2. 2. 5. 2. 2. | 5. 2. 2. 2. 2. 5. | 5. 5. | 2. 3. 3. 3. 3. 2. | Relinquitur quinta pars, quae nunc ex octo versibus constat. Hi duas pares strophas praeberent, nisi haec v. 68. foede corrupta essent

ναῦς μὲν ἄρμεν' ἔχοισα μετάρσια τῶν παρεόντων·
ἱστία δ' ἤϊθεοι μεσονύκτιον ἐξεκάθαιρον.

Illud non videtur dubium esse, scripsisse poetam *ναῦς γε μὲν ἄρμεν' ἔχοισα*, sed nisi *τῶν παρεόντων* pro absurdo alicuius scribae supplemento habere volumus, ita potius statuendum erit, excidisse lacerato codice aliquot versus, quorum unus his vocibus terminaretur. In altero versu multum operae perditum est. Is sic est emendandus:

εἰςέτι δ' ἤϊθεοι μεσονύκτιον ἐξεκάθευδον
Ἡρακλῆα μένοντες.

Xenophon hist. Gr. II. 2, 24. *ἐξεκάθευδον δὲ καὶ οἱ ἱππεῖς ἐν τῷ Ὠδείῳ.* Quod si haec quoque carminis pars pari cum ceteris diligentia facta est, ex tribus ea strophis constabat, quarum prima et tertia quattuor versus habebat.

Vicesimum idyllion, quod quidam negant Theocriti esse, commode potest, si ad argumentum respicitur, in quattuor partes distribui, quarum prima has strophas habeat, 5. 5. 3. 3. 2. secunda, cui unum versum ereptum esse ostendam, septem distichis constet, tertia sit huiusmodi, 2. 3. 3. 2. | quarta denique ex duobus distichis facta. Minus enim probem, si illud distichon, quod ut epodum primae partis posui, proximae parti adiungatur. In hac quis ferat haec v. 21. XX

καὶ γὰρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τι κάλλος,
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκαζεν ὑπήναν·
χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο·
καὶ λευκὸν τὸ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι λάμπε μελαίναις
ὄμματά μοι γλααυκᾶς χαροπώτερα πολλὸν Ἀθάνας.

Nimis impudentem esse hanc hominis arrogantiam sentiens Wordsworthius, minuendam putabat *μᾶλλον* scribendo. At *πολλὸν* potius scribae inepto iudicio debetur, male versum integrantis. Praeterea cur iste homo, qui tantopere pulcritudinem suam iactat, id praeterit quod primum ponere debebat, corporis formam et staturam? Certo hi non quinque, sed sex versus fuerant, sic ordinati scriptique:

καὶ γὰρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τε κάλλος,
. . . .
χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο,
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκαζον ὑπήναν·
καὶ λευκὸν τὸ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι λάμπε μελαίναις,
ὄμματα δὲ γλαυκᾶς χαροπώτερα λεῦσσεν Ἀθάνας·
τὸ στόμα δ' ᾗς πακτᾶς μαλακώτερον, ἐκ στόματος δὲ
ἔρρεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα ἢ μέλι καρῶ.

Sed ne quis obstare illi quam indicavi stropharum designationi putet, quod versum 33. non cum Meinekio damnavi,

ὡς καλὸς Διόνυσος ἐν ἄγκεσι πόρτιν ἐλαύνει,

moneo tantum abesse ut eiiciendus sit hic versus, ut maxime sit necessarius. Nullo modo enim in commemoratione deorum, qui vel ipsi armenta pavissent vel pastoribus delectati essent, praeteriri potuit Apollo, recteque vidit Briggsius poetam *Διὸς υἱός* scripsisse; recte etiam Benleius scribi iussit *ἔλαυνεν*. Sed reliquerunt illi aliud vitium: scribendum erat enim,

κοὖ ποτ' ἄκουεν
ὡς ὁ καλὸς Διὸς υἱὸς ἐν ἄγκεσι πόρτιν ἔλαυνεν.

Inconsiderate enim doceri solet *καλὸς* prima syllaba ancipite dixisse Dorienses, ut in illo Theocriti, *τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.* Non producunt enim primam bucolici nisi in arsi: quare etiam v. 30. non cum Brunckio *καὶ πᾶσαι με καλὸν κατὰ τὤρεα* scribendum est, quod semper *κατ' ὤρεα* dicitur, sed

καὶ πᾶσαι δὲ καλόν με κατ' ὤρεα φαντὶ γυναῖκες.

Apud Bionem I. 77. stulti correctoris est, quod in quibusdam libris legitur, *ῥαῖνε δέ μιν καλοῖσιν ἀλείφασι.*

XXVI Difficilius est certi quid afferre de idyllio vicesimo sexto, quia et strophae non uno modo constitui possunt, et finis carminis hymnum in Bacchum prodere videtur, ita ut nesciamus an integrum sit carmen. Argumentum si spectamus, prima pars has tres strophas habet, 6. 5. 6. altera aut epodica est ex his strophis, 2. 2, 2. 3, aut duabus constat, 6. 3. tertia ex duabus facta est, 6. 6. Sed eximendum est grave vitium, quo depravati sunt versus 27—29.

οὐκ ἀλέγω· μηδ' ἄλλος ἀπεχθέμεναι Διονύσῳ
φροντίζοι, μηδ' εἰ χαλεπώτερα τῶνδ' ἐμόγησεν,
εἴη δ' εἰναέτης ἢ καὶ δεκάτῳ ἐπιβαίνοι.

Nec mirum: servatum est enim hoc carmen in duobus tantum, vel ut

rectius dicam in uno codice Mediolanensi: alter enim, qui est Parisinus quartus, ita cum Mediolanensi consentit, ut ex illo exscriptus videatur. In primo versu Reiskius *οὐκ ἂν ἐγὼ* scribendum esse intellexit. In altero Brunckius, sentiens graviora quam Pentheo vix cuiquam evenire posse, audacissime simul et falsissime legi voluit, *μηδ' ὅς κεν ἐλάσσονα τῶνδε μογήσῃ:* non enim quid passus esset Pentheus, sed quid commisisset spectandum erat. Tertii versus quae sententia esset Bergkius animadvertit. Illud fugit criticos, *φροντίζοι* fuisse *φροντίζω*, quod interpres aliquis ad *ἀλέγω* adscripserat. Cetera lacerae vel evanidae scripturae mala esse supplementa videntur. Id quod poeta in mente habebat, hoc fere modo debebat eloqui:

οὐκ ἂν ἔγωγ', οὐκ ἄν ποτ' ἀπεχθοίμην Διονύσῳ,
μηδέ μοι, εἴ τις καὶ μετριώτερα τῶνδ' ἐμάτησεν,
εἴη συνναέτης ἢ ὁμᾶς ἀκάτω ἐπιβαίνοι.

Ultimum versum paene eodem modo emendabat Hauptius.

Referendum nunc est de iis Commilitonum nostrorum, qui de praemio certarunt. Ac S. R. Ordini theologorum nulla reddita est scriptio; quattuor autem accepit Ill. iurisconsultorum Ordo, in quibus *de natura donationum mortis caussa* est disputatum: quarum duae etsi non ex omni parte satisfecerunt iudicibus, tamen, quoniam et diligentiam bonamque indolem produnt, et utraque sua sibi propria quae laudentur, quaeque vituperentur habet, dividere inter scriptores praemium, si assentiantur supremi rerum nostrarum gubernatores, decrevit Ordo. Sunt autem illi,

GUILIELMUS DOELLING, Plaviensis, studiosus iuris,

RICHARDUS LEOPOLDUS ILZIG, Lipsiensis, studiosus iuris.

Ordo Gratiosus medicorum quod proposuerat *ut methodi indagarentur, quibus quis circuitum, quem aliqua pars corporis humani haberet, intervallumque inter eam et aliam partem, maximeque circuitum pectoris distantiamque plantae pedis vel tali a pelvi metiri posset, inventaque optima methodo determinaretur spatium, in quo errores observationum inevitabiles essent*, id argumentum ab uno tractatum est, qui est dignus praemio iudicatus. Is est

BENNO GOTTLOB SCHMIDT, Kaditiensis, medicinae baccalaureus.

Ordinis philosophorum primae tantum classi tradita est dissertatio *de vi medii aevi ad statum Germaniae tam formandum quam turbandum*, quae quod non ostenderet eam curam ac diligentiam quae exspectata fuerat, non est probata.

In proximum annum haec proposita sunt argumenta:

Ab S. R. Ordine theologorum: *explicetur de momento litis antinomisticae inter Agricolam et Lutherum.*

Ab Ill. Ordine ICtorum: *quatenus animus iniuriandi, qui dicitur, ad iniuriarum naturam et notionem necessarius sit.*

A Gratioso Ordine medicorum: *accurata aegrotorum nonnullorum observatione inquiratur, primum, quinam musculi in hominibus hemiplegia affectis paralysi non laborent, et quam diverso gradu diversae cutis partes in latere paralytico sensu priventur; deinde quid ex his observationibus et e sectionibus hemiplegia mortuorum ab aliis descriptis concludendum sit, doceatur.*

Ab Ordinis philosophorum classe prima: *proverbii apud Graecos quae origo fuerit, quae indoles, quique usus, exponatur.*

A classe altera iterato: *diversae iuris (τοῦ δικαίου) notiones, quas Aristoteles libro V. Ethicorum Nicomacheorum enarrat, explicentur, et quaenam ex his cuinam ex illis respondeat quas recentiores philosophi inde ab Hugone Grotio posuerunt, disquiratur.*

A tertia classe: *dissensus Trevirani et Mohlii de Ad. Brogniartsii cuticula, tegumento plantarum, examinetur atque exploratione per microscopium in plantis aetatis tenerrimae, adhibitis aptis reagentibus, saltem quam proxime eo perveniri studeatur, ut iudicari possit, utrum cuticula illa sit membrana plantam ab ipsa eius origine tegens, an tantummodo excernendis aut coalescentibus cellulis gignatur: ad quem finem praecipue organa radicum plantarum altiorum et plantae humiliores epidermide carentes commendantur, non neglectis novissimis Karstensii observationibus. (Vegetations-Organe der Pflanzen. Berlin 1847. Botanische Zeitung 1848. n. 42.)*

Habetis, carissimi Commilitones, argumenta, quibus pertractandis studia vestra diligentiamque probare, simulque laudem et praemium consequi possitis. Id qui fecerint, eos rogamus ut scripta sua, addita obsignata schedula, nomen scriptoris indicante, dictoque eodem quo scriptum insignita ante Calendas Septembres tradant Decanis. Ac speramus non defore qui his in artibus, quae bonae vereque liberales sunt, industriae suae nobis documenta sint exhibituri.

P. P. pridie Cal. Novembr. a. MDCCCXLVIII.